


AD HENRICVM IV. GALLIAE REGEM CHRISTIANISS.

IN EIVS NVPTIAS

Octauij Menini I. C. Foroiulienſis bonarum Artium Nuncij

ORATIO.





SVPERIORVM PERMISSV.

VENETIIS, CIϽ . IϽC . I.

Ex Typographia Andreæ Muſchij.

178


Orationem hanc
AD CHRISTIANISS. GALLIAE REGEM HENRICVM IV.
In eius felicisſ. Nuptias ſcriptam
AMPLISS. VIRO ANTONIO GRIMANO TORCELLIENSI EPISCOPO


Octauius Meninus Iuris Conſultus Foroiulienſis Dat, Donat, Dedicat.



VOD ille munus libentiſſime, quantum coniectura aſſequi licet, accipiet. Primum enim in ea Rep. natus eſt, quæ tantum Regem in oculis fert, quæque ei viciſſim hæret in medullis. Deinde, id quod maxime ad rem pertinet, Regi ipſi nedum de facie notus, verum etiam mirifice charus eſt, nihilq; facit libentius, quam cum aut alios de eius præſtantia, & felicitate loquentes audit, aut ipſe loquitur. Poſtremo quantus quantus eſt, nihil aliud niſi benignitas, & ſuauitas eſt, quemadmodum inſequentes teſtantur verſiculi.

VENVSTE *Pictor, viuidas*
Qui pene das imagines
Spirare, pene das loqui,
Scin', quid mihi potissimum
Hac in tabella pingere
Nunc te velim? Dulcedinem,
Suauitatem, Gratiam,
Ipsamque Pulchritudinem.
Tum quicquid est sanctũ, & pium,
Summoque gratum Numini,
Quicquid decorum moribus
Illis bonis, & aureis,
Qui Principes viros decent,
Eosque cælo collocant.
Roges, vt hæc coloribus
Idonee, apteque exprimi
Queant, & oculis subijci.
Ne pendeas diutius
Venuste Pictor, inclytum
Nostrum GRIMANVM *pingito.*





AD CHRISTIANISS. GALLIAE REGEM.



*A est,* HENRICE IV. *Gallorum Rex Christianissime, apud Principes viros, apud liberas ciuitates, apud florentissimas Respublicas, apud maximas nationes, vno verbo, apud gentes omnes per vniuersum terrarum orbem longe, lateq; diffusas, tui nominis vel admiratio, vel charitas, vel vtrumque, vt neminem fere inter mortales esse existimem, qui, quæcunque tibi in vita vsu veniunt, ea ad se quoque pertinere non arbitretur, &, si læta sint, ac iucunda, non incredibilem quendam ex eis hauriat voluptatem. Vel hæ ipsæ tam faustæ, tam fortunatæ Nuptiæ, quas cum* MARIA *Medicæa, magni Francisci, qui Hetrurię Dux fuit, & Serenissimæ illius Ioannę Austriæ, quæ Ferdinandum Imperatorem optimum, & religiosissimum, patrem, Carolum illum* V. *itidem Imperatorem post hominum memoriam longe maximum, & inuictissimum, patruum, alios summos, & potentissimos Principes cognatos, affines, pernecessarios habuit, filia nuper confecisti, quantam non solum Galliæ, ad quam potissimum huius rei fructus est peruenturus, verum etiam Italiæ vniuersæ, alijsq; Prouincijs quamquam*

longo

longo interuallo disiunctis lætitiam attulerunt? quos plausus vbique gentium excitarunt? quibus studijs, vocibus, acclamationibus omnium ordinum, generum, omnia tibi secunda precantium, & augurantium cohonestatæ sunt? Sed quamquam hæc res omnibus mirifice grata acciderit, audebo tamen dicere, vel potius dico, nullam fuisse tantam cuiusquam voluptatem, quæ cum ea, quam nobilissimæ quædam Matronæ, quæ te vnice diligunt, quæque nihil magis optabant, quam eam diem videre, cum prolis ex te nasciture spes aliqua oriretur, possit conferri. At quæ tandem sunt istæ Matronæ tam insignes, tam honestæ, tam studiosæ, & amantes tui? Sunt Artes illæ, (iam enim loquar apertius, nullaque circuitione vtar) quæ liberales, ingenuæ, bonæ nominantur; quæ si humanum sub aspectum cadere possent, omnes homines ad se amandum impellerent; sine quarum luce cuncta iacerent in tenebris, densissima quadam caligine circunfusa; quas olim exules, extorres, rerum omnium inopes Carolus ille Magnus, omnium, quotquot vnquam fuerunt, Principum laudatissimus gremio suæ benignitatis excepit, & in hoc celeberrimo orbis terrarum domicilio collocauit; quas longo deinde interuallo Franciscus Valesius eius nominis primus tam amanter, & officiose amplexus est, vt alijs titulis pulcherrimis prope neglectis, quos ei & in gubernando prudentia, & in pugnando virtus, & in secundis rebus moderatio, & in aduersis constantia tribuerunt, vnico illo mirabiliter fuerit delectatus, cum se litterarum parentem intelligeret appellari, quem etiam in eius sepulcro incisum videmus ad posteritatis memoriam sempiternam. Harum igitur ego nuncium, & interpretem hodie apud te ago. Harum nomine ad te de hisce nuptijs gratulatum venio, is, qui minime omnium, cui hæ partes imponerentur, si ad eas sustinendas vis quædam præstantis ingenij, lactea dicendi facultas, aureum eloquentiæ flu-

men

men necessarium est, dignus fuerim: at, si fides eximia, summum studium, inaudita erga augustissimam coronam hanc reuerentia, mira vitæ ipsius pro sceptri huius dignitate augenda contemptio, aliaque huiusmodi verborum ornatu sunt potiora, qui ad hanc obeundam Legationem deligerer, non indignus fortasse. Sed quonam pacto obsecro mandata exhauriam, munerique suscepto satisfaciam, nisi, quam sit iusta gratulandi causa, demonstraro? quo pacto autem id demonstrem, nisi, quam te Vxor, Tu regno, Regnum ipsum perpetua Regum ex te venientium serie dignum sit, planum fecero? quî porrò hoc planum faciam, nisi & regni, & tuas, & præcellentissimæ Coniugis tuæ laudes celebraro? quî vero celebrem, cum neque sublimia nisi demisse, neque magnifica nisi tenuiter, neque illustria nisi obscure, neque ampla, nisi ieiune possim tractare? Vt vt tamen potero, dicam, nec verebor, ne non vsuram patientiæ quoquo modo dicenti paulisper accommodes, præsertim cum me non sponte mea, sed alieno rogatu, & iussu verba facere intelligas. A regno igitur, vt hunc ordinem sequar, capiamus exordium.

Regnorum nobilitas, quantum ipse quidem existimare, & mediocris huius iudicij mei imbecillitate consequi possum, cum multis alijs ex rebus pendet, & oritur, tum ex his quinque potissimum, temporis diuturnitate, rerum domi, forisque magnifice gestarum gloria, religionis veræ cultu, legum sanctitate, harum met ipsarum liberalium Artium, quarum orator sum, vsu, & cognitione. Etenim, cum illud cogitamus, vim consilij expertem, vt faciles habeat ortus, & incrementa, facillime tamen sua mole ruere, vim prudentia temperatam sensim in maius prouehi, prouectamque diutissime conseruari, & ipsam æternitatem, quoad rerum humanarum conditio patitur, æmulari, fit necessario, vt regna illa, quæ annis

innu-

innumerabilibus pene steterunt, non temere, non violenter, non per scelus, atque iniuriam, sed moderate, ac sapienter gubernata fuisse iudicemus. itidem, cum bella commode, prospereque administrari nequeant, nisi in Imperatoribus scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas, in militibus fortitudo, tolerantia, obedientia reperiatur, quæ nationes magna gesserunt, ijs, facile adducimur, vt nihil istorum defuisse arbitremur. Adhæc, cum diuinum numen pie, incorrupteque se colentibus præsto esse soleat, & ad res maximas efficiendas opem ferat, quibus populis diuinitus consultum videmus, apud hos summo religionem in honore fuisse cogimur confiteri. Præterea, cum legum sanctione nihil aliud agatur, nisi, vt homines ad ea, quæ recta, & cum virtute coniuncta sunt, impellantur, reuocentur à contrarijs, quid aliud possumus opinari, nisi, vbi leges optimæ, & sanctissimæ viguerunt, ibi licentiæ, & sceleris parum, continentiæ, & innocentiæ plurimum extitisse? Postremo, cum tot, tantæque sint litterarum vtilitates, commoda, subsidia, ornamenta, vt his enumerandis nulla par inueniri possit oratio, quid relinquitur, nisi, vt omnium rerum expetendarum copiam illuc affluxisse dicamus, vbi hæ floruerunt, sedemque certam, & portum tutissimum habuerunt? Sed si vllum vnquam regnum fuit, quod omnium rerum istarum concursus nobilitarit, Gallicum profectò est, Gallicum inquam regnum est illud, cum quo si quis vllum aliud ex his, quæ monumentis veterum celebrantur, comparandum censeat, hunc ego censeam aut rerum ignoratione, & imperitia labi, aut liuore, & maleuolentia, quominus recte iudicet, impediri. Quod enim per Deum immortalem vnquam fuit aut diuturnius, aut rerum strenue gestarum gloria præstantius, aut veræ pietatis studiosius, aut legum excellentia ornatius, aut litteris cultius, atque doctrinis? Assyriorum?

at

at illud per quingentos paulo amplius annos stetit, vt plerisq; probatæ notæ auctoribus video placuisse. sed fac stetisse per mille trecentos. quid aliud insigne habuit, præter insignem impietatem, & execrabilem superstitionem? Medorum? at res eorum breui dilapsa, & ad Persas translata est, ac, dum viguit, nulla, quod sciam, apud eos præclara facinora, nulla vera Dei cognitio, leges nullæ, nullæ litteræ. Persarum? at eorum quoque opes quamquam magnæ intra paucos annos summo è fastigio collapsæ concidere. nec iniuria. quam nefarij enim apud eos ritus? quam incestæ libidines? quam detestanda matrimonia? quam fœdę filiorum in parentes conspirationes? quam sæuæ fratrum inter se de regno dimicantium cædes? Macedonum? & illud cum Alexandro illo Magno florente floruit, cum eo cadente prope cecidit, vt Regem ipsum tanquam hastæ cuiuspiam mucronem fuisse dicas, quo adempto, aut præfracto hasta quoque ipsa omnem vim suam, & vulnerandi potestatem amittit. quamquam etiam si Alexander ipse in Italiam traiecisset, & in Torquatos, Cursores, Decios, alios id genus Duces, qui tum Romæ erant, incidisset, haud meliore fortaße fato, quam alter Alexander eius auunculus vsus foret. ac tametsi eius ætati, qua nulla bonarum artium fuit feracior, leges, mores, institutaque non improbanda, in primis vero philosophiæ laudem concesserim, veræ tamen religionis lucem affulsisse negarim, sine qua cætera omnia pro nihilo sunt ducenda. Parthorum? at id cito suum ad occasum peruenit, & nihil memorabile fere in eo reperias, præter Craßi necem, & Ægyptijs effęminati delitijs Antonij fugam, quæ tamen ipsa macula Romano inusta nomini præclare à Ventidio, egregia postmodum de hoste parta victoria, deleta est. At Gallici regni ætas, vt ea omittam tempora, quæ ante Pharamundum, à quo Regum ordimur seriem, effluxerunt, annum millesimum ducentesi-

mum fere attingit, & vt auguror, felicissime vsque ad eum diem, qui orbi supremus erit, producetur. Gloria vero militaris est tanta, vt si hic paululum vela pandere, & vel ex innumerabilibus, quæ possent commemorari, pauca seligere, & in medium afferre velim, non videam, quemadmodum ad exitum peruenire possit oratio. quid enim illustrius victorijs sub Clodoueo primo, sub Dagoberto, sub altero Clodoueo comparatis? quid insignius pugnis Carolo Martello duce pugnatis, eaque potissimum, qua nostrę religionis hostes ita deuicti sunt, vt ex eis trecenta octoginta quinque millia cæsa tradantur, cum ex Gallorum acie vix mille fuerint desiderati? quid commendatius hominum memoriæ sempiternæ, quam expeditiones Pipini ductu, atque auspicijs pro Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ incolumitate, pro Pontificia dignitate susceptæ? quæ litteræ vnquam silebunt Longobardos sub Carolo Magno deletos, Saxones continenti triginta annorum bello perdomitos, Hunnos fugatos, Afros, qui Hispaniam obtinebant, cæsos, Romam ab imminenti excidio liberatam, vniuersæ Reip. Christianæ meliorem faciem restitutam? Quæ vnquam tenebris inuoluet obliuio bellum sacrum in Syria non semel gestum, cuius bonam partem, seu periculum spectes, seu gloriam, Galli sibi vendicare, & quicquid ex sententia obtigit, Diuinæ primum benignitati, suæ deinde virtuti, quicquid incommodi est acceptum, Sociorum negligentiæ, aut malitiæ possunt ascribere? quid memorabilius, quam aliorum bellorum, quæ à D. Ludouici temporibus vsque ad parentum nostrorum memoriam gesta sunt, periculosissimæ tempestates, maximorum euentuum nouitates, fortunæ omnia miscentis varietates? Nam quid de veri illius numinis vero, & sincero cultu, quid de optimarum legum, quibus vsque ad hanc diem res tum publicæ, tum priuatæ apud Gallos gubernatæ sunt, custodia, quid de istis ipsis morum for-

matri-

matricibus, animorum ornatricibus, errorum expultricibus litteris dicam? quis vsque eò vestro nomini infensus est, qui, si me dicentem audiat, hæc omnia regnum in hoc regno obtinuisse, æquo animo non sit laturus, vereque id à me dici, concessurus? O Gallia, Gallia. te enim nunc appello, te consaluto, te, si non quas mereris, at quibus possum, laudibus efferre gestio. Sed quibus obsecro te appellem nominibus? Tu regnatrix, victrix, triumphatrix. Tu eximium totius Europæ decus, rei Romanæ subsidium, Pontificum maximorum indignis acceptorum modis perfugium, venerabilium Antistitum vndique ex Christiano orbe ad indicta Concilia huc confluentium receptaculum, nostræ religionis nunc barbarorum immanitate, nunc Hæreticorum nequitia in extremum propè discrimen adductæ firmißimum propugnaculum, ipsius præpotentis Dei armamentarium, ex quo telorum vim maximam ad hostium suorum furorem comprimendum solet depromere. Quid tibi optem potissimum? quid à Diuum benignitate precer? id scilicet, quod tu maximè concupiscis, hoc est, vt Henrico IV. *quamdiutissime incolumi, sospite, florentissimoque perfruare.*

Sed quoniam de Galliæ laudibus pro mearum virium tenuitate, satis multa, pro rei ipsius dignitate, parum multa, pro ea, quam omnes habent, istarum rerum notitia, nimis fortassè multa mihi dixisse videor, ad te ipsum Rex maxime me conuerto, vt eorum alterum, quæ proposui, absoluam. qua in parte iccirco breuior ero, quod non tam aliarum virtutum tuarum, quam eximiæ illius modestiæ, quæ in te elucet, habendam mihi rationem intelligo. Et vero optimi cuiusq; Principis est, malle laudanda agere, quam laudari. En igitur quoddam veluti numisma, in quo tuam effigiem, perpusillam quidem illam, & inchoatam potius, ac rudem, quam absolutam, & perpolitam licet inspicere. Duo sunt tempora, per quæ humana hæc vita traducitur,

citur, Pacis alterum, alterum belli: illud quidem securius, hoc splendidius; illud, quo magis oblectere, hoc, quod magis admirere; illud ad vtilitatem, hoc ad famę celebritatem accommodatius; illud plebi, infimæque sortis hominibus, hoc nobilitati, virisq; alta spectantibus, & gloriæ cupidis aptius; vtrumque tamen eiusmodi, vt alterum alterius successione, & mutua opera egeat. Nam, si semper Pax vigeat, quæ vires ocio non frangantur? quæ industria non languescat? quod ingenium per socordiam non hebescat? quæ vitiorum seges non succrescat? quod cupiditatum effrenatarum bellum non exardescat, quouis bello quamquam periculoso magis horribile, & pertimescendum? Contra, si perpetuum bellum geratur, quæ Ciuitates viris, equis, pecunia non exhauriantur? quæ oppida non spolientur? quæ agris vastitas, hominibus pernicies, rebus omnibus clades non importetur? Si perenni pace fruamur, ecquando viris fortibus dabitur occasio, vitæ, quæ naturæ debetur, pro Patria profundendæ? Si semper dimicandum, quam raro eueniet, vt vita, quam, vt quisque fortissimus est, ita maxime se pro Patria profundere paratum esse profitetur, naturæ potius reseruetur? Si pacata semper, & tranquilla omnia, vbi Alexandri, Scipiones, Marcelli, Cæsares? Si nunquam non bello turbida, armorum fulgore oculorum aciem perstringentia, tubarum clangore perstrepentia, vbi Platones, Homeri, Cicerones, Virgilij? quid multa? Sic ille magnus rerum omnium sator, & gubernator statuit Deus, vt hæc se vicissim, tanquam æstatem hiems, hiemem æstas excipiant, & consequantur. Quod cum ita sit, qui regali è Solio, quo eum aut diligentium fauor, aut ius legitimæ successionis euexit, populos sibi subiectos, suo à nutu, supercilioque pendentes regit, hunc ego & belli, & pacis artibus, ad quas veluti comes, & administra maiestas quædam oris, & præualida totius corporis firmitas

mitas

mitas accedat, instructum, atque ornatum statuo esse oportere: Nam cui pectus est minime generosum, excelsum, magnificum, & altißimæ illius fortunæ capax, qui curas, labores, vigilias, vitæ pericula recusat, qui in Solem, pulueremque prodire reformidat, qui militis, arma, equos, commeatus, machinas bellicas parare non studet, qui non comitate, sed aurium fastidio, non humanitate, sed difficili aditu, non beneficentia, sed acerbissima vectigalium per varios sinus, variaque prædandi vocabula impositorum exactione Principem agit, qui diei breuitatem conuiuijs, noctis longitudinem voluptatibus metitur, qui clementia miseros, liberalitate inopes, iustitia oppressos erigere, excitare, recreare non didicit, qui nec ipse scit consulere, quid in rem sit, nec bene consulentibus vt aurem præbeat, animum potest inducere, qui ob insignem oris, cæterorumve membrorum deformitatem, si non odio, at contemptu saltem, & irrisione tum suis, tum alienis dignus videtur, is quo pacto quæso imperium fortiter, prudenter, feliciter administrabit? quo pacto fines suos ab hostium incursione, vastatione, direptione prohibebit? castris locum capiet? commeatus expediet? ab insidijs præcauebit? tempus pugnæ deliget? aciem instruet? firmabit subsidijs? quo pacto, cum pax erit, ciues, negociatores, suos, exteros in officio continebit? frena efferenti sese, & euaganti licentiæ inijciet? ciuitates pronas in luxuriam, & affluenti omnium copia voluptatum lasciuientes ad modestiam reuocabit? tenuiores potentiorum iniuria arcebit? Virtutum intermorientium, oculosque iam iam claudentium studia accendet? atque, vt omnia paucis complectar, regnum suum tum malis depellendis, tum bonis omnibus comparandis in summo felicitatis gradu collocabit? Contra, cuius pectori incognitus terror, manibus torpor, pedibus fuga, qui non temeritatem, sed prudentiam, non timorem, sed magnanimitatem,

non

non inanem ambitionem, sed veræ gloriæ cupiditatem in consilium adhibet, qui non architectos voluptatum, sed rerum laudandarum auctores, & suasores intimam in amicitiam recipit, nullumq; maius, aut melius imperij instrumentum putat, quam bonos amicos, qui illis disciplinis, quæ vitiorum fugam, periculorum pro communi salute susceptionem, mortis contemptum pro dignitate suadent, imbutus est, qui cum virtutes omnes, tum iustitiam potissimum cæterarum dominam, & reginam virtutum, & cuius fruendæ causa bene morati Reges constituti sunt, colit, qui formæ ipsius præstantia, & dignitate omnium in se ora, oculosque conuertit, omnium beneuolentiam sibi conciliat, cui corpus bene constitutum, ætas integra, optimus habitus, vires maximę, & ad tolerandos labores idoneæ, hoc rerum gubernacula moderante, quæ pacis ornamenta, quę belli adiumenta populi, vrbes, prouinciæ sibi non audeant polliceri? Atqui tu is es Henrice IV. (dicendum est enim aliquando, dicendum est inquam, ne pręuaricationis subeam notam,) Tu igitur is es, qui & belli, & pacis artibus ita abundas, prudentia, iustitia, comitate, & liberalitate, peculiaribus Regum virtutibus, alijsque eiusmodi, quarum opinione populorum amor erga Principes commoueri vehementer solet. ita excellis, omnibus dotibus, quæ naturę, & fortunæ beneficio tribui possunt, aut studio, & exercitatione comparari, ita excultus es, vt, quoties te intueor, & contemplor, toties formam ipsam, & speciem perfectissimi, omnibusque numeris absoluti Principis mihi videar intueri. Ac primo quidem, quod ad militares artes attinet, quantum his præstiteris, testes sunt isti ornatissimi Equites, Tribuni, Pręfecti, quorum corona consessum hunc cingit, qui te, quo tempore in armis eras, quid moliendum, quæ loca pręsidijs firmanda, quæ vrbes obsidendæ, qua ratione in obsessas commeatus importandus, bellum ne ducendum, an in vnius

horæ

horæ aleam conijciendum, vicatim ne circunferendum, an tota eius moles vnum in locum conuertenda, quando aperto Marte, quando astu pugnandum, vbi insidiæ instruendę, vbi pontes fluminibus inijciendi, qua peruadendum, quo progrediendum, sæpissime, prudentissimeque disserentem audierunt. Testes milites tum singuli, tum vniuersi, qui te labore cum quolibet gregario certantem, primos hostium impetus excipientem, tuos obiectu pectoris tegentem, per cęsorum aceruos iter aperientem, calorem, sitim, inediam, hiemem, imbrem æquo animo ferentem, tuo incommodo aliorum commodis, tuo periculo aliorum securitati, tuis vigilijs aliorum quieti consulentem, tantum animi ac roboris tuis addentem, vt, cum tuæ virtuti omnia prona, ac peruia fore existimarent, ita inirent certamen, vt manibus comprehensam victoriam tenere viderentur, nullum boni Imperatoris, nullum strenui militis officium prætermittentem, laudem fortibus, solamen inualidis, fomenta saucijs, exemplum omnibus dantem conspexerunt. Testes vrbes quamplurimæ, quarum alias ita defendisti, vt seruaris, alias ita oppugnasti, vt ceperis, alias ita obsedisti, vt ad deditionem compuleris, alijs ita pepercisti, vt malle videreris eas tibi deuincire, quam vincere. Testes Principes exteri, qui tuæ inuictę fortitudinis admiratione adducti florentissimas res suas cum tuis adhuc turbidis haud grauate miscuerunt, & quin omnia optatum ad exitum perduceres, non dubitarunt. Testis postremo orbis terrarum vniuersus, qui se angustiorem esse conqueritur, & confitetur, quam vt tuæ gloriæ amplitudinem capere possit. Aliarum vero virtutum tuarum, earumque Artium, quę comites, & alumnę sunt pacis, testis est hic pulcherrimus rerum status, in quo nunc Gallia conquiescit, hęc mira felicitas, quæ summum ad fastigium iam peruenit; quod fieri certe non potuißet, nisi ea omnia in te forent, quæ tantam felicitatem

citatem parere, & tueri solent. Testes omnium mortalium unum, idemque sentientium voces, quæ te Galliæ lumen, nobilitatis decus, plebis perfugium, armorum gloriam, pacis templum, Ecclesiæ columen, tuorum propugnaculum, hostium terrorem appellant. Nam quid de oris ipsius pulchritudine, & dignitate dicam? quid de virium robore? quid de totius corporis firmitate? quæ bona adeo te insignem, & conspicuum reddunt, vt, qui te viderit, & non amarit, non coluerit protinus, non tanquam numen aliquod de cœlo delapsum suspexerit, is omnis humanitatis expers, & ab omnibus gratijs alienissimus meritò possit censeri. Sed video me prouectum longius, quam constitueram. Quare de te dicendi finem faciam, de cuius magnitudine & præstantia nullæ mortalium linguæ, nulla vnquam scriptorum monumenta conticescent. iam vero de Serenissima Vxore tua (id enim reliquum est) pauca dicere aggrediar, eiusq; effigiem in altera numismatis parte, rudis, & imperitus faber, pro exiguis ingenij viribus insculpam. Sed da mihi quæso hanc veniam, vt à te paulisper sermonem auertam, & ad hanc ipsam Nobilitatem Gallicam conuertam; ita enim, cuiusmodi Reginam acceperit, facilius poterit intueri. Scitis igitur Illustrissimi viri, quæ nam vobis diuino munere Regina sit data? Ea nempe, quæ tot, tantisque & animi, & corporis ornamentis prædita est, vt, nisi Henricus IV. *in terris extitisset, qui eam sibi matrimonio copulasset, cælibem fortasse vitam agere necesse habuisset, cum tam dignum virum reperire vix posset. Ea, quæ nisi ad Reges pariendos diuinitus accita esset, in hoc corporis domicilio collocata, nihil nisi de cælestibus cogitasset, mortalia omnia neglexisset. Ea, quæ Blanchas, Annas, Claudias, Catherinas, ipsas etiam Clotildas, alias omnes præstantissimas fœminas, quibus huic Regiæ gloriari licet, & quarum apud vos memoria sancta, & percele-*

bris

bris est, non æquabit solum, verum etiam superabit. Ea, quæ pietatis in Deum, obsequij in virum, diligentiæ in familiares, liberalitatis in indigentes, clementiæ in afflictos, misericordiæ in supplices, seueritatis in se ipsam memorabilia exempla edet. Ea, quam fortuna ista celsissima de gradu moderationis nunquam deijciet. Ea, cuius in fronte maiestas cum humanitate, in ore pudor cum hilaritate, in lingua affabilitas cum grauitate, in manibus beneficentia cum sinceritate ita eminent, vt nihil admirabilius, nihil diuinius fieri posse sitis existimaturi. Ea, quæ opes maximas, & quasi thesauros quosdam rerum pulcherrimarum, ac preciosissimarum huc secum attulit, quas plena manu quoquo se vertet, est effusura. nec mirum. primum enim sub cœlo Italo, de cuius laudibus, etiam me tacente vos non siletis, deinde Florentiæ nata est, hoc est, in ea Vrbe, quæ Carolo illi Magno si non primordia, & fundamenta, at incrementa certe sua refert accepta; & cui tantus Imperator tantum non tribuisset, nisi suo fauore dignissimam indicasset, ac quasi diuinasset tempus aliquando illud futurum, cum Gallia inde potissimum sibi Reginas deligendas putaret. Præterea ex Medicæa familia edita est, quam fortissimorum Ducum, amplissimorum Cardinalium, maximorum Pontificum seminarium possumus appellare. Adhæc maternum ei genus tam altum, tamque præclarum est, vt nihil in terris illustrius, nihil sublimius reperiatur. nam, vt longissimum ordinem Regum, & Cæsarum, qui ei maiores, & sanguinis auctores contigerunt, prætermittam, & Rodulphos, Albertos, Federicos, Maximilianos, Philippos, Ferdinandos, à quibus ortum ducit, nominandi labore supersedeam, quanti illud est, quòd, quemadmodum initio dixi, Carolum V. necessitudine attingit? Carolum, inquam illum, in quo ornando virtus cum fortuna certauit? cuius imperij magnitudinem Oceanus ipse, qui or-

bem terrarum amplexu finit, nullis terminis circumscripsit? postremo, cum adhuc esset puellula, in illa ineuntis ætatis imbecillitate, faustis sub penetralibus ea diligentia educata est, his imbuta moribus, his informata verbis, opinionibus, atque sententijs, quæ futuræ magnitudini possent quandoque conuenire. nihil enim cum lacte ipso suxit, nihil accepit, nihil didicit, nisi magnificum, nisi laudabile, nisi diuinum. quo factum est, vt iam tum homines nescio quid maius præsaga mente augurari inciperent, iam tum dicere solerent, eam aliquando non solum nobilißimæ illius familiæ, non solum patriæ, non solum Italiæ, sed totius prope Europæ clarissimum lumen futuram. Hæc igitur est, quam nos Itali vobis Gallis Reginam dedimus, atque ita dedimus, vt non dum satis constituerimus, magis ne nobis, qui dedimus, an vobis, qui accepistis, lætandum sit. pulchrum certe nobis dedisse, & maxime gloriosum. at vobis accepisse non solum pulchrum, verum etiam fructuosum. Tanto igitur bono læti fruimini, quod nobis quoque, qui dedimus, maximæ erit lætitiæ, & ornamento.

Nunc ad te inuictissime HENRICE *redeo, & hanc summam facio rationum mearum. Si regni istius dignitas, amplitudo, ac maiestas est tanta, vt ad eam nihil possit accedere, & si tu tantus es, vt, tu ne regno, an tibi regnum maius afferat decus, difficile facias ad iudicandum, ac postremo si Regina ipsa te viro dignißima est, quid restat, nisi, vt, qui rem Gallicam bene constitutam, & perpetuo florentem volunt, hi iure lætentur. per hasce Nuptias ad spem liberorum, qui in possessione tam altæ fortunæ, tamque nobilis sceptri permanebunt, eamq; posteris tradent, aditum esse patefactum? Quis vero tui amantior, & obseruantior; quis Reginæ deuinctior, quis incolumitatis tanti regni studiosior, quam bonarum Artium chorus? Vt igitur extrema cum primis consentiant, earum verbis tibi*

de

